LAUDES BEATAE MARIAE VIRGINIS.

LAUDES BEATAE MARIAE VIRGINIS.

ENTE CONCIPIO
LAUDES CONSCRIBERE
SACRATE VIRGINI,
QUE NOS A CARCERE
SOLVIT POST FILIUM
GENUS IN GENERE,
MIRI MIRIFICANS
EFFECTUS OPERE.

Usum qui prebuit scribendi gratiam
Sermonis tribuat in affluentiam,
Ut ejus predicans laudes et gloriam,
Dulcoris intimi saporem sentiam.

Laudum preconia dictat affectio,
Sed lingua titubat, heretque ratio:
Nam quibus laudibus quove preconio
Referam virginem matremque nescio.

Hec matrum mater est, et gemma virginum,
Que vite peperit auctorem dominum,
Qui, mortem terminans per mortis terminum,
Ruine moriens succurrit hominum.

Hec mater virginis retento nomine,
Celestis nuntii fecunda famine,
Jus omne superat et usum femine
Cum nobis parturit deum in homine.

Salutat angelus, res mira sequitur,
Quod auris accipit intus concipitur,
Tumescit uterus, deus egreditur,
Vestitus homine, nec virgo leditur.

O res mirabilis, O rerum novitas,
Se vestit homine summa divinitas,
Lucet in virgine matris fecunditas,
Et jugi lumine vernat virginitas.

Hec summa laudis est atque materia,
Quod mater domini virgo fit regia,
Promissa proferens in mundo gaudia,
Sicut vox docuit de celo nuntia.

Quod ergo didici per celi nuntium,
Archani mistici consecretarium,
Dictamen offero salutatorium,
Per matrem filio, matri per filium.

Benigna, suscipe, mater, quod offero,
Litusque tangere fac me quo propero,
Ut maris vortices cum pertransiero
Quiete vivere possim de cetero.

Nec non et omnibus relaxes crimina
Pro quibus supplicans fundo precamina,
Nostrumque pariter et horum nomina
Conscribi facias in vite pagina.

Ps. 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.
AVE, virgo virginum, parens absque pari,
Sine viri semine digna fecundari,
Fac nos legem domini crebro meditari
Et in regni gloria beatificari.

Ps. 2. Quare fremuerunt gentes; et populi meditati
AVE, cujus viscera natum ediderunt
Cujus in interitum gentes fremuerunt,
Audi voces supplicum qui te pie querunt,
Mali causas removens que nos invenerunt.

Ps. 3. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant
AVE, virgo, speculum sancti celibatus,
Cujus est ex utero puer nobis natus,
Qui, compassus mortuo morte soporatus,
Morte mortem terminat, expiat reatus.

Ps. 4. Cum invocarem exaudivit me deus justicie
AVE, nati filia, parens genitoris,
Preter morem generans consueti moris,
Nos ad statum revoca vite melioris
Quos tam diu tenuit vanitas erroris.

Ps. 5. Verba mea auribus percipe, domine; intellige clamorem
AVE, que, nos redimens ab Egypti luto,
Subvenire satagis vitiis imbuto,
Tu nos, bone protegens voluntatis scuto,
Coronatos gloria colloces in tuto.

Ps. 6. Domine ne in furore tuo arguas me; neque in
AVE, vite janua, salus penitentis,
Respice miserias anime languentis;
Ne in ira sentiam voces arguentis,
Me peccatis exime simul et tormentis.

Ps. 7. Domine deus meus in te speravi; salvum me fac

AVE, mater unica, causa nostre spei,
Tuis queso meritis fac miserta mei,
Ut ab enigmatibus hujus speciei
Plena plene perfruar visione dei.

Ps. 8. Domine dominus noster; quam admirabile est nomen

AVE, virgo regia, summa gaudiorum,
Per quam rex mirabilis, dominus cunctorum,
Revocat inmeritos in spem filiorum,
Quos proscripsit multiplex causa vitiorum.

Ps. 9. Confitebor tibi, domine, in toto corde meo; narrabo

AVE, thronus gratie, mater Jhesu Christi,
Que sola concipere virgo meruisti,
Confitebor domino quem sic genuisti
Quod nec mater virginis nomen amisisti.

Ps. 10. In domino confido; quomodo dicitis anime

AVE, virgo virginum, per quam transmigratur
Super unum montium in quo victimatur
Vepre tentus aries, unde redimatur
Prodigus qui rediens veniam precatur.

Ps. 11. Salvum me fac, domine, quoniam defecit sanctus;

AVE, mater domini, mater inquam ave,
Fac ut Christi bajulem jugum persuave,
Quo beatitudinis particeps octave
Liberari merear prime matris a ve.

Ps. 12. Usque quo, domine, oblivisceris me in finem?

AVE, virgo nomine matris insignita,
Gratiarum fertili dote premunita,
Purga mentis aciem quosit expedita,
Ne unquam obdormiat in morte sopita.

Ps. 13. Dixit insipiens in corde suo; non est deus.

AVE, templum gratie, templum sanctitatis,
Templum sancti spiritus, thronus majestatis,
Salva me per gratiam, salva, queso, gratis,
Ut sortiri valeam regnum cum beatis.

Ps. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?

AVE, tabernaculum regis manu fortis,
Per quam Christus, particeps factus nostre sortis,
Fractis seris vectibus et inferni portis,
Nos a morte revocat triumphator mortis.

Ps. 15. Conserva me, domine, quoniam speravi in te;

AVE, thronus gratie regi preparatus,
Ex qua nobis prodiit felix advocatus,
Nostra sit hereditas Christus ex te natus,
Conservetque servulos condonans reatus.

Ps. 16. Exaudi, domine, justiciam meam; intende

AVE, solis civitas, in quam introivit
Rex regum et dominus qui te concupivit,
Per te nos exaudiat sibi quos univit,
Suo vultu sacians quibus esurivit.

Ps. 17. Diligam te, domine fortitudo mea; dominus

AVE, virgo virginum, de qua mediator
Ad nos venit, hostium verus triumphator,
Hostes nostros convertat fortis expugnator
Et fiat per gratiam glorie collator.

Ps. 18. Celi enarrant gloriam dei; et opera manuum

AVE, solis regia, de qua verus exit
Veri solis radius, fraudes qui detexit
Hostis et versucias quibus nos illexit,
Ovem querens perditam gregi quam revexit.

Ps. 19. Exaudiat te dominus in die tribulationis

AVE, plena gratie, speciosa tota,
Virgo prudens, humilis, sine sordis nota,
Nostrum sacrificium suscipe devota,
Mores nostros ordinans affectus et vota.

Ps. 20. Domine, in virtute tua letabitur rex; et super

AVE, salus hominum, digna salutari,
Salutare pariens sola carens pari,
Nostra spes et gloria sit in salutari,
Cujus participio credimus beari.

Ps. 21. Deus deus meus, respice in me; quare me

AVE, cujus uterus vermem procreavit
Qui submordens ederam ione desiccavit,
Dum quod legis littera clausum conservavit,
In apertum proferens nobis propalavit.

Ps. 22. Dominus regit me, et nichil michi deerit;

AVE, Jesse virgula, gratiarum donis
Habundanter predita, tu correctionis
Virga sis et baculus consolationis,
Quo nos Christus pascuis collocet in bonis.

Ps. 23. Domini est terra et plenitudo ejus.

AVE, terra glorie, terra non arrata,
Rore tamen gratie plene fecundata,
Fructum ferens cujus est gustu recreata
Proles Ade veteris diu captivata.

Ps. 24. Ad te, domine, levavi animam meam

AVE, cujus gloriam boant universi,
Per quam sursum redeunt in profundum versi,
Per te fiat, domina, ne semel conversi
Redeant ad vomitum sibimet adversi.

Ps. 25. Judica me, domine, quoniam ego in innocentia

AVE, mater populi, prospice defectum,
Et, maternum filiis exibens affectum,
Mores nostros ordina tollens imperfectum,
Ut pes noster tendere queat in directum.

Ps. 26. Dominus illuminatio mea; et salus mea

AVE, mater domini suos protegentis,
Qui catervas hostium fregit in trecentis,
Queso nos respicias oculis attentis,
Procul pellens tenebras erumpnose mentis.

Ps. 27. Ad te, domine, clamabo; deus meus

AVE, virgo, domini mater illibata,
Cujus est ex utero caro deo data,
Caro carnem liberans, caro morti nata,
Caro que refloruit morte triumphata.

Ps. 28. Afferte domino filii dei; afferte domino

AVE, per quam filius fratres adoptavit,
Quos et dei filios recte nominavit,
Eant ergo filii quos ad se vocavit,
Agnos innocentie ferant quos mandavit.

Ps. 29. Exaltabo te, domine, quoniam suscepisti me

AVE, tabernaculum Christo dedicatum,
Supra matres obtinens sola principatum,
Nostris aptans usibus saccum veteratum
Propter nostra vulnera gratis vulneratum.

Ps. 30. In te, domine, speravi, non confundar

AVE, nostrum gaudium, nostra fortitudo,
Cujus est dulcedinis magna multitudo,
In te nostra sita sit spei certitudo
Cujus piis laudibus libere desudo.

Ps. 31. Beati quorum remisse sunt iniquitates;

AVE, cujus utero deus est deorum
Factus homo, tollere spinas delictorum,
O beatus uterus, et beati quorum
Fecit se participem factor seculorum.

Ps. 32. Exultate justi in domino; rectos decet

AVE, per quam dominus revocat ejectum
Quem a solo patrio peregre profectum,
Medicus dum repperit viciis infectum,
Morbi causas abstulit simul et effectum.

Ps. 33. Benedicam dominum in omni tempore;

AVE, mater pariens fructum benedictum,
Tactu cujus solvitur Eve maledictum,
Que transgressa temere, tangens interdictum,
Transtulit in posteros ultionis ictum.

Ps. 34. Judica me, domine, nocentes me; expugna

AVE, per quam dominus apprehendens scutum
In extremo brachio propulit astutum,
Qui de sputo proprio commiscendo lutum
Ceco lumen homini reddidit acutum.

Ps. 35. Dixit injustus ut delinquat in semet ipso;

AVE, templum gratie, thronus deitatis,
Torrens affluentie, domus ubertatis,
Per te solam reddita spes est desperatis,
Fluctuantis anchoram rege nostre ratis.

Ps. 36. Noli emulari in malignantibus; neque

AVE, carens simili, nusquam malignata,
Dignitatis titulo triplicis ornata,
Virgo mater diceris, junge separata,
Es utrumque, docet hoc fides oculata.

Ps. 37. Domine ne in furore tuo arguas me; neque

AVE, sancti spiritus fecundata rore,
Conservato pariens castitatis flore,
Queso fac ne arguat judex in furore
Quos a morte proprio redemit cruore.

Ps. 38. Dixi custodiam vias meas; ut non delinquam

AVE, cujus filio psalmus decantatur,
Habitus proiditum in quo figuratur,
Qui terrena transiens in hoc delectatur
Si vel mentis gressibus caput consequatur.

Ps. 39. Expectans expectavi dominum; et intendit

AVE, tabernaculum regis impollutum,
Per quam solvit dominus ope destitutum,
Tuis juva meritis sponte provolutum
In lacum miserie et in fecis lutum.

Ps. 40. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem;

AVE, solis civitas quam David erexit,
De quo sol justicie nube tectus exit,
Qui de summis pauperum causas intellexit,
Et egroto similis egros non despexit.

Ps. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes

AVE, de qua prodeunt ubertatis rivi,
De qua manans profluit aqua fontis vivi,
Peto mater veniam qui per sordes ivi,
Fac ut fontem sitiam magis quam sitivi.

Ps. 42. Judica me, deus, et discerne causam meam

AVE, cujus thalamo judex est egressus,
Causas qui determinat judicans excessus,
Per quem mentis oculus, viciis oppressus,
Discat ut in lumine suos ponat gressus.

Ps. 43. Deus auribus nostris audivimus; patres

AVE, cujus filius provehit egentes,
Et affligit improbos in nos insurgentes,
Pie queso dirigat nostras in se mentes,
Reprimendo turbinum motus imminentes.

Ps. 44. Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego

AVE, per quam genitor verbum eructavit,
Verbum quod hominibus se contemperavit,
Qui dei et hominum federa dictavit,
Et pro nobis moriens mortem relegavit.

Ps. 45. Deus noster refugium et virtus; adjutor in tribul

AVE, tabernaculum domini virtutum,
In quo sumens dominus nostre carnis lutum,
Ut captivum redimat ope destitutum,
Arcum fortis conterit et comburit scutum.

Ps. 46. Omnes gentes plaudite manibus; jubilate

AVE, cujus filius regnat super gentes,
Cujus psallunt nomini manibus plaudentes;
Jubilemus igitur attollendo mentes
Indefesse capiti Christo choerentes.

Ps. 47. Magnus dominus et laudabilis nimis;

AVE, virgo generans regem sempiternum,
Quique deus noster est, deus in eternum,
Qui pro nobis moriens spoliat Avernum,
Solium nos faciens scandere supernum.

Ps. 48. Audite hec omnes gentes; auribus percipite

AVE, nostrum gaudium, nostre spes salutis,
Per quam cecis redditur lux et sermo mutis,
Nobis, innocentie vestibus exutis,
Redde, queso, gratiam statumque virtutis.

Ps. 49. Deus deorum dominus locutus est; et

AVE, salutarium summa gaudiorum,
Salvatorem generans et deum deorum,
Qui, misertus miseris et consors eorum,
Culpas lavans pertulit penas peccatorum.

Ps. 50. Miserere mei deus; secundum magnam

AVE, virgo, generis nostri miserere,
Languescentis animi morbos intuere,
Tu, miserta miseris et compassa vere,
Morbi causas auferens mentibus medere.

Ps. 51. Quid gloriaris in malicia; qui potens

AVE, vas mundicie continens unguentum
Veteris malicie comprimens fermentum,
Cordis nostri comprime motum turbulentum,
Tue nobis gratie conferens augmentum.

Ps. 52. Dixit insipiens in corde suo; non est deus

AVE, nostri generis presens ad tutelam,
Audi quam ostendimus gemitus loquelam,
Tu, corrumpi nescia, tolle corruptelam,
Et morbosis mentibus adhibe medelam.

Ps. 53. Deus in nomine tuo salvum me fac;

AVE, cujus filius patri coequalis
Nobis se contemperans factus est mortalis,
Nos experientia doceat realis
Quod in ejus nomine salvemur a malis.

Ps. 54. Exaudi deus orationem meam et ne

AVE, secretarium exauditionis,
Nostre verba suscipe deprecationis,
Nosque tue gratie perdotatos donis
Ad divine transferas pacem visionis.

Ps. 55. Miserere mei deus quoniam conculcavit

AVE, mater venie potens misereri,
In tuorum numero fac nos recenseri,
Et, cum ventilatio ceperit haberi,
Iram nobis tempera judicis severi.

Ps. 56. Miserere mei, deus, miserere mei;

AVE, nostri generis potens advocata,
Miserere miseris misereri nata,
Nos qui per te cavimus solvi judicata,
Per te solvi petimus, solve postulata.

Ps. 57. Si vere utique justiciam loquimini;

AVE, que justiciam semper es locuta,
Cujus ope demonum fraus est imminuta,
Sentiat et sapiat per te plebs adjuta
Libertati pristine qua sit restituta.

Ps. 58. Eripe me de inimicis meis, deus meus;

AVE, mater nesciens in delicto thorum,
Ad quam clamat jugiter turba filiorum,
Nos a malis eripe quos a via morum
Detorquere satagit tractus vitiorum.

Ps. 59. Deus, repulisti nos et destruxisti nos;

AVE, per quam deitas carne palliata
Ydumeam visitat corrigens errata,
Tibi, mater, jugiter psallat plebs renata
Dei participio per te sociata.

Ps. 60. Exaudi, deus, deprecationem meam;

AVE, lux exposita loco permanenti,
Lux illustrans omnia radio patenti,
Nos a malis omnibus serves in presenti,
Lumen verum conferens nebulose menti.

Ps. 61. Nonne deo subjecta erit anima mea?

AVE, per quam deitas peregre profecta
Visitavit exules nube carnis tecta,
Nostra deo per te sit anima subjecta,
Ad solvendas domino grates circumspecta.

Ps. 62. Deus deus meus; ad te de luce vigilo.

AVE, vite pabulum, virginum lucerna,
Quam plus ditat ceteris gratia superna,
Pietate filiis subveni materna
Sanctitatis adipe sacians interna.

Ps. 63. Exaudi, deus, orationem meam cum

AVE, virgo generans per quem defecerunt
Hii qui velut gladium linguas acuerunt,
Qui tendentes laqueos in quos inciderunt
Ex defectu proprio nobis profuerunt.

Ps. 64. Te decet ymnus, deus, in Syon; et

AVE, per quam deitas, carnis indumento
Tecta, curat morbidum gratie fomento,
Queso fac ut, centupli gaudens incremento,
Habundare valeam vallium frumento.

Ps. 65. Jubilate deo omnis terra; psalmum

AVE, virgo generans plebis salutare,
Cujus laudes resonant celum, terra, mare,
Qui, naturam hominis volens exaltare,
Moriendo voluit mortem terminare.

Ps. 66. Deus misereatur nostri et benedicat

AVE, per quam miseris deus miseretur,
Per quam nostri generis scelus aboletur,
Per te sic miseria nostra relevetur
Ut in finem gaudio vero permutetur.

Ps. 67. Exurgat deus et dissipentur inimici

AVE, de qua natus est triumphator mortis,
Deus ex te particeps factus nostre sortis,
Qui, captivos eruens ab inferni portis,
Reddit nos confortio celice cohortis.

Ps. 68. Salvum me fac, deus, quoniam intraverunt

AVE, stella fulgida, stella salutaris,
Stella de qua prodiit radius solaris,
Mentis pelle tenebras, nec nos paciaris
Absorberi fluctibus procellosi maris.

Ps. 69. Deus in adjutorium meum intende;

AVE, vallis humilis, in quam cum descendit
Deus verus Abrahe semen apprehendit,
Et sic adjutorium miseris impendit
Conterendo laqueos hostis quos tetendit.

Ps. 70. In te, domine, speravi, non confundar in eternum;

AVE, vite janua, specimen virtutis,
Protectorem generans ope destitutis,
Nostrum sis refugium, nostre spes salutis,
Per quam dure solvitur jugum servitutis.

Ps. 71. Deus judicium tuum regi da; et justiciam

AVE, celi pluvia, vellus irroratum,
Indumentum preparans regi preparatum,
Qui, se nostri generis gerens advocatum,
Finem fecit litibus finem per beatum.

Ps. 71. Deus judicium tuum regi da; et justiciam

AVE, cujus filio gens ab oriente
Trina trino detulit stella precedente
Sic, junctura fidei duos uniente,
Liberavit pauperem deus a potente.

Ps. 72. Quam bonus Israel deus; hiis qui recto sunt

AVE, virgo generans orbis architectum,
Qui, dum mortis moriens terminat effectum,
Mentis nostre gressibus iter parat rectum,
Ut nequaquam transeant cordis in affectum.

Ps. 73. Ut quid, deus, repulisti in finem?

AVE, cujus filius operans salutem,
In terrarum medio monet ad virtutem,
Erumpnosam remove, mater, servitutem,
Presens ut exilium gaudio permutem.

Ps. 74. Confitebimur tibi, deus, confitebimur;

AVE, cujus gratia veniam meretur
Fidem qui catholicam pie confitetur,
Tuis, virgo, meritis precibusque detur
Ut quod Eva perdidit per te reformetur.

Ps. 75. Notus in Judea deus; in Israel magnum nomen ejus

AVE, per quam dominus pietate motus
Humilis apparuit in Judea notus,
Fortem redde spiritum frangens carnis motus
Ut devote serviat tibi tote totus.

Ps. 76. Voce mea ad dominum clamavi;

AVE, mater gratie gemmis redimita,
Mater per quam pauperum vox est exaudita,
Tuus nobis filius in presenti vita
Via sit et veritas, in futuro vita.

Ps. 77. Attendite, popule meus, legem meam;

AVE, terra glorie, germinans frumentum
Animabus conferens vite nutrimentum,
Quod, in crucis cornibus a Judeis tentum,
Moriendo centupli tulit incrementum.

Ps. 78. Deus, venerunt gentes in hereditatem

AVE, de qua prodiit pater orphanorum,
Cujus templum polluit turba prophanorum,
Servos tuos socia sorti beatorum
Filiosque posside morti punitorum.

Ps. 79. Qui regis Israel intende; qui deducis

AVE, lumen fidei, summa spei certe,
Caritatis vinculum, veritatis per te
Via nobis patuit, queso nos converte
Et ne mala videant oculos averte.

Ps. 80. Exultate deo adjutori nostro;

AVE, cujus filius dextera potenti
Ab Egypti cophino suos in presenti
Liberando reficit adipe frumenti,
Et de petra saciat melle profluenti.

Ps. 81. Deus stetit in synagoga deorum;

AVE, cujus filius stetit in deorum
Synagoga judicans principes eorum,
Qui pupillos refovens spes est egenorum;
Hos adoptans erigit in spem filiorum.

Ps. 82. Deus quis similis erit tibi; ne taceas

AVE, per quam nobis est similis effectus
Deus judex omnium patiens et rectus,
Purga conscientias ordinans affectus,
Ut non nobis noceat noster imperfectus.

Ps. 83. Quam dilecta tabernacula tua

AVE, tabernaculum facta deitatis,
In quo salvat seculum Christus a peccatis,
Solve queso vinculum nostre pravitatis,
Prestans habitaculum nove claritatis.

Ps. 84. Benedixisti, domine, terram tuam

AVE, terra gratie fecundata donis,
Nove fructum proferens benedictionis,
Nostrum desiderium sacies in bonis,
Nos a malis eximens prave nationis.

Ps. 85. Inclina aurem tuam, domine, et

AVE, vite speculum, virginum regina,
Quam lustravit undique gratia divina,
Aurem tuam pauperum precibus inclina,
Quos involvit misere sordium sentina.

Ps. 86. Fundamenta ejus in montibus sanctis;

AVE, dei civitas, cujus fundamentum
Samarites construit, qui nos in jumentum
Semivivos revehens plagis dat unguentum,
Vino legis adhibens gratie fomentum.

Ps. 87. Domine, deus salutis mee; in die

AVE, mater domini qui spes est salutis,
Qui contrivit moriens jugum servitutis,
Juva nos in tempore nostre senectutis,
Nos in celum sublevans gradibus virtutis.

Ps. 88. Misericordias domini in eternum cantabo.

AVE, nostri generis terminans lamentum,
Per quam rex disposuit vite testamentum,
Gregem tuis laudibus jugiter intentum
Non pavere facias judicis adventum.

Ps. 89. Domine, refugium factus es nobis;

AVE, que, refugium facta desperatis,
Procellose comprimis motus tempestatis,
Paca nos et applica portibus optatis,
Vultui nos offerens summe trinitatis.

Ps. 90. Qui habitat in adjutorio altissimi;

AVE, quam inhabitat verbum caro factum,
Qui, collapsos vetiti ligni per attactum
Nos fecisse condolens cum inferno pactum,
Ligno vite reparat figuli vas fractum.

Ps. 91. Bonum est confiteri domino; et psallere

AVE, per quam domino pie confitemur,
Cujus ope veniam consequi meremur,
Tuis sanctis precibus, mater, adjuvemur,
Ut cum Christo jugiter tecum gloriemur.

Ps. 92. Dominus regnavit decorem indutus

AVE, per quam dominus, induens decorem
Matris Eve, moriens terminat merorem,
Prime nos originis vocans ad honorem,
Immo statum reparans multo meliorem.

Ps. 93. Deus ultionum, dominus deus ultionum

AVE, mater domini miserationum,
Mea delens crimina spiritum da bonum,
Ut astare valeam gaudens ante thronum,
Cum in finem venerit deus ultionum.

Ps. 94. Venite exultemus domino; jubilemus

AVE, mater inclita, mater inquam dei,
Per quem datur Sabbatum vere requiei,
Hic est qui nos liberat anno jubilei,
Unde nec immerito jubilamus ei.

Ps. 95. Cantate domino canticum novum;

AVE, per quam domino novit decantare
Novum terra canticum laudans salutare,
Qui nos, cum redierit orbem judicare,
Summi patris ovibus velit aggregare.

Ps. 96. Dominus regnavit, exultet terra;

AVE, cujus filius regnans sine fine
Egrotanti factus est auctor medicine,
Qui naturam hominis uniens divine,
Fit per mortis terminum terminus ruine.

Ps. 97. Cantate domino canticum novum;

AVE, que libidinis non sensisti motum,
Per quam fecit dominus salutare notum,
Qui, quod erat hominis assumendo totum,
Egro se contemperat, sanet ut egrotum.

Ps. 98. Dominus regnavit irascantur

AVE, que justicie solem nube tegis,
Thronus facta gratie, thronus summi regis,
Nostri queso vigiles ad tutelam gregis,
Ut in nobis vigeat plenitudo legis.

Ps. 99. Jubilate deo omnis terra; servite domino

AVE, mater cujus est pietas immensa,
Cujus ope languidis salus est impensa,
Mentis vota suscipe jubilumque pensa,
Et perhenne gaudium nobis recompensa.

Ps. 100. Misericordiam et judicium; cantabo

AVE, mater solitum gignens preter morem,
Que gignendo retines virginis pudorem,
Juris et judicii fervidum rigorem
Per misericordie tempera dulcorem.

Ps. 101. Domine, exaudi orationem meam;

AVE, per quam pauperum voces exaudivit
Passer solitarius qui post mortem vivit,
Qui, per pennas diluens culpam quam nescivit,
Jugum mortis moriens oppido contrivit.

Ps. 102. Benedic, anima mea, domino; et omnia

AVE, mater titulo benedictionis
Illustrata celitus gratieque donis,
Nos illustra cumulo miserationis
Statum mutans misere conversationis.

Ps. 103. Benedic, anima mea, domino; domine

AVE, mater gratie, mater benedicta,
Maledictionibus Eve non astricta,
Moles queso criminum aufer et delicta,
Ut severi judicis temperes edicta.

Ps. 104. Confitemini domino, et invocate nomen

AVE, mater filii per quem liberantur
Qui, sub mole criminum pressi tenebantur,
Ipsi, per quem federa gratie dictantur,
Pie nos confedera cum hiis qui salvantur.

Ps. 105. Confitemini domino quoniam bonus;

AVE, cujus filio pie confitemur,
Quod Egypti tenebris per hunc amovemur,
Qui pro nobis gladium ponit super femur,
Quo accinctus preliet ne nos expugnemur.

Ps. 106. Confitemini domino quoniam bonus;

AVE, mater domini, qui te preelegit,
Qui catervas hostium moriens confregit,
Et, inferna visitans, predo quos abegit
A predonis faucibus preda factus egit.

Ps. 107. Paratum cor meum, deus, paratum cor

AVE, nostrum gaudium, nostra spes et vita,
Cujus ope salus est egris impertita,
Generalem generis sortem non oblita
Ad eterne pabulum vite nos invita.

Ps. 108. Deus laudem meam ne tacueris;

AVE, per quam dominus nostri miseretur,
Cujus laus in filio digne recensetur,
Qui, dum pacis osculum ficte non veretur,
Sibi laudem, gloriam nobis, promeretur.

Ps. 109. Dixit dominus domino meo;

AVE, cujus uterus factus est castellum,
Quod intravit dominus properans ad bellum,
Qui sibi de restibus faciens flagellum
Inimicos posuit pedum subscabellum.

Ps. 110. Confitebor tibi, domine, in toto corde

AVE, per quam genitor filium premisit,
Redimendi populi cui curam commisit,
In quem cum diabolus manum suam misit,
Quos ad mortem traxerat nescius amisit.

Ps. 111. Beatus vir qui timet dominum;

AVE, stella nuntians veri solis ortum,
De qua verum tenebris lumen est exortum,
Quod in nostris mentibus reperis distortum
Tue participio lucis sit absortum.

Ps. 112. Laudate, pueri, dominum; laudate

AVE, mater pueri per quem vita datur,
Cujus laus a pueris digne predicatur,
Per te nobis puritas vite conferatur,
Quod in pueritie nomine signatur.

Ps. 113. In exitu Israel de Egypto; domus Jacob

AVE, cujus filius sudans in agone
Mare nobis consecrat merso Pharaone,
Qui fit predo faciens predam de predone
Sicque predo victus est vetus a tyrone.

Ps. 114. Dilexi quoniam exaudiet dominus;

AVE, norma fidei, pacis disciplina,
Apis mella faciens, vitis fundens vina,
Vini meri calicem filiis propina,
Et de valle tristium transfer ad divina.

Ps. 115. Credidi propter quod locutus sum; ego

AVE, vitis fertilis docta propinare
Vinum quod inebriat, vinum salutare,
Vinum de quo dominus risum fecit fare,
Cum promisit Abraham semen ampliare.

Ps. 116. Laudate dominum, omnes gentes; laudate

AVE, per quam factus est homo rex celorum,
Cujus passim resonat laudes vox piorum,
Te laudare jugiter summa sit votorum,
Donec nos suscipiat chorus angelorum.

Ps. 117. Confitemini domino quoniam bonus; quoniam

AVE, vitis gratie, vitis salutaris,
Quam vallavit undique lapis angularis,
Nostram sepi veniam vallo quo vallaris,
Ne nos ledat rabies feri singularis.

Ps. 118. Beati immaculati in via; qui ambulant

AVE, pia genitrix immaculatorum,
Quorum lex est currere viam mandatorum,
Ne a via devient pedes viatorum
Quod nos gravat amove pondus peccatorum.

Ps. 119. Ad dominum cum tribularer clamavi; et exaudivit

AVE, de qua prodiit potens advocatus,
Culpe qui determinat veteres reatus,
Cujus patrocinio noster incolatus
Transeat in gloriam melioris status.

Ps. 120. Levavi oculos meos in montes; unde veniet

AVE, virgo regia mundi luminare,
Ecce mentis tenebras potens propulsare,
Nos in montem doceas oculos levare
Quo conscendit Abraham missus immolare.

Ps. 121. Letatus sum in his que dicta sunt michi;

AVE, que letitiam mundo retulisti,
Cum in verbo gratie verbum genuisti,
Qui, cum nos perceperit ad tribunal sisti,
Ab auditu faciat non pavere tristi.

Ps. 122. Ad te levavi oculos meos; qui habitas

AVE, virgo thalamus facta summi ducis,
Que de noctis tenebris miseros educis,
Nostre mentis oculos leves a caducis,
Ut intendant radio sempiterne lucis.

Ps. 123. Nisi quia dominus erat in nobis

AVE, virgo gratie, mater affluentis,
Per quam cedit strepitus populi furentis,
Muni queso fortiter pedes nostre mentis,
Ut torrentem transeant aque vehementis.

Ps. 124. Qui confidunt in domino sicut mons

AVE, mons sanctissime speculationis,
In quo nostre sita est spes ascensionis,
A carnalis strepitu nos commotionis
Liberando filios fac adoptionis.

Ps. 125. In convertendo dominus captivitatem

AVE, mater affluens pacis ubertate,
Facta consolatio plebis captivate,
Nos ad portum applicans pacis peroptate
Plena plene perfrui para libertate.

Ps. 126. Nisi dominus edificaverit domum;

AVE, domus regia quam edificavit
Rex qui pacis gaudia mundo nuntiavit,
Qui, dum fortis atria fortior intravit,
Fortem ligans spolia fortis asportavit.

Ps. 127. Beati omnes qui timent dominum;

AVE, dei domini genitrix beata,
Filiorum filiis plene venustata,
Da timere dominum mente tranquillata,
Vias nostras dirigens ejus ad mandata.

Ps. 128. Sepe expugnaverunt me a juventute mea;

AVE, per quam viribus hostes destituti
Inbecilles facti sunt, debiles et muti,
Nostre, virgo, quesumus prospice saluti
Ut fiamus jugiter te tuente tuti.

Ps. 129. De profundis clamavi ad te, domine;

AVE, floris bajula cujus ad odorem
Reviviscunt mortui, suscipe clamorem
Ad te suspirantium, nosque per hunc florem
Non pavere facias mortis ad horrorem.

Ps. 130. Domine, non est exaltatum cor meum;

AVE, cujus detulit rex humilitati,
Cum te verbi thalamum fecit incarnati,
Qui, pro nobis offerens se captivitati,
Captivatos reddidit prime libertati.

Ps. 131. Memento, domine, David; et omnis

AVE, Jesse virgula, per quam exhibetur
Quod de David semine pater pollicetur,
Per te quidem gratie tempus adimpletur,
Quia per te filiis pater miseretur.

Ps. 132. Ecce quam bonum et quam jocundum

AVE, gemma gratie, stillans unctionem
Que nostrarum mentium firmat unionem,
Nos, unitos mutuam per dilectionem,
Vite para consequi benedictionem.

Ps. 133. Ecce nunc benedicite dominum;

AVE, nostrum gaudium, nostre spes salutis,
Celi scandens solium gradibus virtutis,
Queso fer presidium noxia secutis,
Et a nobis excute jugum servitutis.

Ps. 134. Laudate nomen domini; laudate

AVE, cujus filius gratie preconem
Nondum natus docuit exultationem,
Doce nos, per vicii supplantationem,
Ad beatam tendere Christi visionem.

Ps. 135. Confitemini domino quoniam bonus;

AVE, virgo generans per quam liberatur
Israel, et Pharao persequens necatur,
Solvat quisque gratias, et confiteatur
Quod hic mirabilia solus operatur.

Ps. 136. Super flumina Babilonis illic sedimus

AVE, per quam, principe victo Babilonis,
Cantica resumimus jubilationis,
Per materne gratiam miserationis,
Perduc nos ad patriam exultationis.

Ps. 137. Confitebor tibi, domine, in toto corde

AVE, parens inclita que sine pudoris
Tactu nostri mater es facta salvatoris,
Te laudantes muniat intus atque foris,
Per te qui remedium nostri fit doloris.

Ps. 138. Domine probasti me et cognovisti me;

AVE, cujus filius habitu mendici
Carnem gerens similem carni peccatrici,
Quasi dolo repulit dolos inimici
Cum se mortis legibus passus est addici.

Ps. 139. Eripe me, domine, ab homine malo;

AVE, mater filii cujus ad congressum
Mors evicta penitus abit in secessum,
Nos a malis eripe, mentis nostre gressum
Ad paterne dirigens dextere consessum.

Ps. 140. Domine, clamavi ad te exaudi me;

AVE, per quam deitas carne palliatur,
Ut ad vite semitas exul reducatur,
Nostra sic oratio per te dirigatur
Ut succedens actio vitam consequatur.

Ps. 141. Voce mea ad dominum clamavi;

AVE, de qua prodiens gigas manu fortis
Dormientes excitat a sopore mortis,
Redde nos consortio celice choortis,
Ut sit cum viventibus locus nostre sortis.

Ps. 142. Domine, exaudi orationem meam;

AVE, mater, suscipe preces quas effundo,
Gravis sterquilinii mersus in profundo,
Munda sordis thalamum, hauriens a fundo
Sordes quibus ceteris amplius habundo.

Ps. 143. Benedictus dominus deus meus,

AVE, de qua nascitur puer Nazareus,
Per quam, dum in prelio ruit Philisteus,
Vite spem concipiens gaudet homo reus,
Voce clamans libera Benedictus deus.

Ps. 144. Exaltabo te deus meus rex; et benedicam

AVE, de qua prodiit rex universorum,
Regnum cujus omnium regnum seculorum,
Rege nos, et applica cetibus eorum
Quorum summa gloria laus est eternorum.

Ps. 145. Lauda, anima mea, dominum; laudabo

AVE, per quam populi factus est adjutor
Rex qui dicit Ego sum deus et non mutor,
Qui per mortis semitas mortis persecutor
Fit collator gratie, libertatis tutor.

Ps. 146. Laudate dominum quoniam bonus est psalmus;

AVE, cujus laudibus laus est delectari,
Cujus nos confidimus partu salutari,
Post hanc vitam glorie palma coronari
Si velimus domino pie conformari.

Ps. 147. Lauda, Jerusalem, dominum; lauda deum

AVE, mater gratie, jugi laude digna,
Per quam victis hostibus ruit ars maligna,
Captivatis exhibe pietatis signa,
Nosque post exilium patrie resigna.

Ps. 148. Laudate dominum de celis; laudate

AVE, per quam tollitur hominum pressura,
Cujus laudes reboat omnis creatura,
Laudes quas offerimus acceptare cura,
Nos beatitudine ditans permansura.

Ps. 149. Cantate domino canticum novum;

AVE, fons clementie venieque vena,
Per quam nobis redditur vite cantilena,
A peccatis solve nos et peccati pena,
Et beatitudinis perduc ad amena.

Ps. 150. Laudate dominum in sanctis ejus;

AVE, laus fidelium, jubar sanctitatis,
Domini triclinium, thronus majestatis,
Placa nobis filium precibus beatis,
Servos tuos munerans dono libertatis.

Luke I. v. 26. Ave Maria, gratia plena, dominus tecum.

AVE, celi gloria, terre fundamentum,
Cujus fit in utero continens contentum,
Tue nobis gratie prestet incrementum
Quod ad tue scribimus laudis monumentum.

Luke I. v. 46. Magnificat anima mea dominum

AVE, cujus anima nuntio letata
Dominum magnificat plus humiliata,
Quod fit major generans deum hinc beata
Dicitur a seculis felix ad hoc nata.

Luke II. v. 29. Nunc dimittis servum tuum domine;

AVE, cujus filius templo presentatur,
Salutare gentium seni revelatur,
Sicque petit postmodum paci dimittatur,
Que nostris laboribus tandem conferatur.

Luke I. v. 68. Benedictus dominus deus Israel; quia

AVE, deum pariens quem pater preconis
Benedicens predicat resurrectionis,
Cornu quod premiserat erecturum bonis,
Ad quod nostros dirigat pedes rationis.

Te deum laudamus; te dominum

AVE, cujus filio cetus angelorum
Sanctus clamant jugiter, nos a vitiorum
Labe munda, perfrui in regno celorum
Fac nos cum felicibus premiis justorum.

AVE, virgo generans moris fracto jure,
De qua gigas prodiit gemine nature,
Tu, miserta miseris, subveni pressure,
Nos in lucem transferens glorie venture.

AVE, nostri generis parens et patrona,
Supra cunctas possidens gratiarum dona,
Tuis sanctis precibus meritisque dona
Ne mens nostra solito sit ad malum prona.

AVE, virgo supplices potens exaudire,
Que sunt deo placita fac nos tecum scire,
Et, cum judex venerit atque dies ire,
Judicis ad dexteram jube nos venire.

DEMUM, dei genetrix, laudes acceptare
Cura quas offerimus nosque presentare
Per has deo satagas, ut, cum judicare
Venerit, nos ovibus velit aggregare.

VIRGO sancta, suscipe mentis in conclavi
Verba quibus tociens veniam rogavi,
Et audito sepius ave tam suavi
Fac me queso liberum prorsus a ve gravi.



UMME SUMMI
TU PATRIS UNICE,
MUNDI FABER
ET RECTOR FABRICE,
PIETATIS
AFFECTU DEICE
PECCATORES AFFLICTOS
RESPICE, PIE PATER.

Summa summi tu mater filii,
Clavem nostri tenens auxilii,
Desolatos hujus exilii
Tui fove lacte consilii, pia mater.

Consolentur, O bone domine,
Respirantes in tuo nomine,
Qui pro mundi tollendo crimine
Dignatus es nasci de virgine, matris pater.

Consolentur, O bona domina,
Sitientes tua solamina,
De qua sola felici femina
Predicantur hec duo nomina, virgo mater.

O figura patris substantie,
Qui es splendor paterne glorie,
Tu ille fons misericordie
De quo manat tocius gratie plenitudo.

O regina regni Davitici,
Tu es virga floris dominici,
Tu es archa panis angelici,
De qua nostra mereat refici solitudo.

Virtus patris et sapientia,
Tu et pater una substantia,
Suaviter disponens omnia:
Equus honor equalis gloria est utrique.

Stella maris, regina seculi,
Tu es mater illius parvuli
Quem adorant fideles populi
Semper omnes et semper singuli et ubique.

O sanctorum sancte, mirabilis,
Toti mundo desiderabilis,
Homo potens et deus humilis,
Non est tibi nec erit similis, homo deus.

O sanctarum sancta, dulcissima,
Sola partu tanto dignissima,
Ut de tua carne mundissima
Nasceretur potestas maxima, deus meus.

Jhesu Christe, fons indeficiens,
Fons humana corda reficiens,
Te suspiro, te solum siciens,
Solus eris michi sufficiens, fili dei.

Mater Christi, decus virgineum,
Thronum sedens super ethereum,
Tuum nomen sapore melleum
Liquefaciat affectum ferreum cordis mei.

Summum bonum, plenum dulcedine,
Lumen verum de vero lumine,
Solo cujus audito nomine
Satiatur mira pinguedine mens justorum.

Summi boni reclinatorium,
Dulcis vini dulce cellarium,
Quod indulcans dulcedo dulcium
Nasciturus elegit proprium rex celorum.

Patrum pater precelse, ceteris
Reparator humani generis,
O qui carnem pro nobis miseris
Mulieris de carne pauperis assumpsisti.

Matrum mater et virgo virginum,
Apothecha salutis hominum,
O que carne de munda dominum
Sine carnis mixtura seminum produxisti.

Audi, precor, O qui das gratiam,
Peccatoris hujus miseriam,
Et per tuam misericordiam,
Peccatorum meorum veniam michi dona.

Audi, precor, O plena gratia,
Peccatoris hujus suspiria,
Et pro tua misericordia
Deo meo me reconcilia, mater bona.

Tibi, pater, duc beneplacitum
Peccatoris istius gemitum,
Solve mei reatus debitum,
Quia malum pretendo meritum et pretendi.

Tibi, mater, duc acceptabilem
Peccatoris hanc vocem flebilem,
Redde michi deum placabilem
Ne se prestet inexorabilem, quem offendi.

O intacte fili puerpere,
Audi planctus anime misere,
Que, peccati jacens in pulvere,
Ut jumentum computrescere lamentatur.

O intacta virgo puerpera,
Ad te clamat mens nostra misera,
Que nefanda semper ad scelera
Ab etate nunc usque tenera effrenatur.

Pie pater, errantem corrige,
Piam manum jacenti porrige,
Jam de luto me fecis erige,
Et in viam tuorum dirige mandatorum.

Pia mater, errantem visita,
Pio corde de me recogita,
Coram Jhesu benigno clamita,
Ut meorum dimittat debita delictorum. Amen.

These poems are taken from a Psalter written by an English scribe, most likely in one of the Midland counties, early in the 13th century.
Printed by William Morris at the Kelmscott Press, Upper Mall, Hammersmith, in the County of Middlesex, and finished on the 7th day of July, 1896.



Sold by William Morris at the Kelmscott Press.

These poems are taken from a Psalter written by an English scribe, most likely in one of the Midland counties, early in the 15th century.

Printed by William Morris at the Kelmscott Press, Upper Mall, Hammersmith, in the County of Middlesex, and finished on the 7th day of July, 1896.

Sold by William Morris at the Kelmscott Press.